



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Quibus locis Scripturæ aliqui probent Patrem, aut Filium dici principium. c.
2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

Græcos inuenitur de Filio, vel Spiritu sancto dici, quod principentur. Sed hoc non est in usu doctorum nostrorum. Quia licet attribuamus patri aliquid auctoritatis ratione principij, nihil tamē ad subiectionem, vel minorationem quocumq; modo pertinens attribuimus Filio, vel Spiritui sancto, ut vitetur omnis erroris occasio. Secundum quem modum Hylarius dicit 9. de Trinitate. Donantis auctoritate pater maior est, sed minor non est Filius, cui vnum esse donatur.

Libro 9. de Trinitate in terminum & finem libri.

Ad tertium dicendum, quod licet hoc nomen, principium, quantum ad id, à quo imponitur ad significandum, videatur à prioritate sumptum: non tamen significat prioritatem, sed originem. Non enim idem est, quod significat nomen, & à quo nomen imponitur, ut supra dictum.

q. 13. art. 1.

Conclusio est affirmans, quæ simul cum doctrina articuli sequentibus disputationibus examinanda nobis est.

DISPUTATIO CXXXIX.

De nominibus, quæ in patre significare possunt rationem principij.

De nominibus, Principium, & Initium, cap. 1.
Quibus locis Scripturae aliqui probent, Patrem, aut Filium dicitur principium, cap. 2.

Quo pacto Pater dicat principium totius deitatis, cap. 3.
Nomen, Principium, non dicitur vniuersè de principio essentiali, & notionali, cap. 4.

Principium analogicè, non equiuocè dicitur de viroque principio, cap. 5.

De nominibus, Author, & Causa, cap. 6.

CAPVT I.

De nominibus, Principium, & Initium.

Patri, & Filio competere esse principium.

Nomen, Principium, prædicari de Patre, & de Filio nulli dubium est, docentque omnes Scholastici citandi in hac disputatione: imò definitum est in Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. & refertur in cap. 1. de summa Trinitatis & fide Catholica in 6. vbi dicitur Spiritus sanctus procedere à Patre & Filio, ut ab vno principio. Idem dicitur in Concilio Florentino, sess. vii. in literis vniuersis, & docet Augustinus lib. 5. de Trinitate, cap. 13. & alij Patres, quos inferius commemorabimus. Probari autem potest optima ratione deducta ex definitione ipsa principij, quam colligere licet ex Aristotele 5. Metaphysicæ, cap. 1. vbi post sex acceptiones principij, illud definit his verbis. Principium est, unde est aliquid aut sit, aut cognoscitur. Et quamuis Aristoteles non cognouerit aliud principium, nisi illud, à quo tanquam à perfectiori pendet, quidquid ab eo procedit, eius tamen definitionem sic vniuersè accipere possumus, ut nihil denotetur imperfectionis in eo, quod ab alio tanquam à principio procedit, & idcirco S. Thomas, ut aptam definitionem, quæ in diuinas personas cōueniret, nobis traderet, sic definit in hoc articulo, principium, Unde aliquid procedit, eadem ferè verba Aristoteles. ita in vniuersum vsurpans, ut nulla imperfectio denotetur illius, quod

ab alio procedit. Ex hac definitione rectè colligitur secundum fidem nostram, Patrem æternum, & Filium esse principium, quia ab vtroque aliqua persona re ipsa procedit.

De nomine, Initium, alio modo dicendum est, nimirum nullo modo de patre aut filio prædicari. Nam quamuis Bonauentura in 1. d. 29. a. 1. q. 1. ad 3. dicat, Initium posse sumi latiori significatione, & tunc etiam significare idem, quod principium, à quo aliquid procedit, & magis propria pro principio durationis, quia tamen absolute, & communiter denotat principium durationis, idè non potest de aliqua persona diuina cum sit æterna, prædicari. Quamobrem Hylarius 4. de Trinitate, fol. 2. ita inquit, Nouit (scilicet Ecclesia) vnum inuisibilem Deum, nouit, & vnum ingentum Dei Filium, confitetur Patrem æternum, & ab origine liberum, & Filij originem æternam, non ipsum ab initio, sed ab initiabili, &c. Cum Hylarius sentit Magistri in 1. d. 29. vbi docet, Hylarium appellasse Patrem initiabilem, quia in se habet principium omnium rerum, à quod habent initium suæ durationis; quare initiabilem vocauit, quasi initiarium, ut explicat S. Thomas, ibidem. Adde Magistri dici non posse, Filium habere principium, tum etiam dicamus, Filium esse à principio, quia habere principium, denotat initium durationis. Modum etiam loquendi Hylarij, sequitur Concilio Toletano in confessione fidei, cum asserit, filium natum sine initio ante sæcula, & Concilio Vuerotensi etiam in sua fidei confessione.

Neque obstat, quod dicitur Michæ 5. Et egredietur eius ab initio à diebus æternis, nam licet ibi loquatur propheta de æterna Messie generatione, & verba manifesta indicant, de cuius temporali proximitate dixerat, Ex te (scilicet Bethlechem) iherusalem egredietur dominator in israel, tamen illud, Ab initio, ibidem denotat Patrem, à quo tanquam à principio egredietur, & natiuitas Filij est, sed idem est, ab initio, quod antequam quidquam fieret, hoc est, ab æterno, quod ut melius exprimeret, addidit à diebus æternis, sicut Proverb. 8. dicitur. Dominus possedit me initio viarum suarum, antequam quidquam faceret, & Ecclesiæ 2. Ab initio, & ante sæcula creatus sum, appellat enim Scriptura initium id, quod ante tempora erat, hoc nomen erat æternitas.

CAPVT II.

Quibus locis Scripturae aliqui probent, Patrem, aut Filium dici principium.

Recentiores Theologi aliquibus Scripturae testimoniis probare nituntur, Patrem, & Filium esse principium. Primum est, Ioan. 1. In principio erat verbum. Augustinus enim lib. 6. de Trinitate, cap. 2. explicat, In Patre, sic etiam intelligitur Cyrillus lib. 1. de Ioan. cap. 1. in parte tanquam in fonte, & origine, iuxta illud Ioan. 8. Ego à patre exiui, & completum terna ab Origine hominibus. 2. in diuersos. Verum sensus planior illius loci est, quem sequuntur alij Patres, ut idem sit, In principio, quod, ab initio, ita ut Phrasim eiusdem Ioan. in 1. sua Epistola, cap. 1. vbi pro eo, quod hic dixit, In principio, ibi ait, Quod fuit ab initio. Quam interpretatione sequitur etiam Augustinus loco allegato, & lib. questionum ex vtroque Testamento c. 22. in Ioan. Ambrosio lib. 1. de Basilide Chrysost. homil. 2. in Ioan. Ambrosio lib. 1. de Basilide cap. 5. consonat etiam lectio Tertulliani lib. aduersus Praxeam, c. 5. & 16. In primordio sermo erat, quod dicitur & Deus erat sermo. Dicit itaque Ioannes, in principio

capio, quando facta sunt omnia, iam erat verbum apud Deum, antequam quidquam eorum fieret, ergo sine nomine principij intelligas initium, vt dicebamus praecedenti capite pro eo, quod omnem temporis durationem antecedit, siue pro ipso initio durationis, & vim facias, vt ait Basilus, in verbo illo; erat, eo testimonio significatur, verbum Dei fuisse, antequam quidquam inciperet, quia initio, quando aliquid incepit, iam erat, quare assignare non possumus, quando non erat verbum, vt notat Basilus, ideoque asserit, si non recedatur à verbo, erat, hoc est, si recte significatio illius intelligatur, nihil contra aeternitatem filij affirmari posse. Mitto alias expositiones, hinc enim satis constat, ex eo loco non probari, Patrem esse principium.

Secundus locus est Plal. 109. *Tecum principium in die virtutis tuae.* Vbi Augustinus intelligit per principium Patrem: ac si dicat, *Tecum Pater*, iuxta illud Ioannis 1. *Pater autem in me manens facit opera sua.* Basilus tamen homilia 10. In hexamero, & Euthymius in eum locum, non Patrem, sed regnum, & imperium intelligunt. Quam expositionem sequitur Iansenius, & Geneb. vt Pater aeternus ad filium suum in die resurrectionis loquatur in hunc modum: tecum erit regnum, & imperium, id est obtinebis principatum, & imperium in die robotis, & potentiae tuae cum splendoribus sanctitatum, id est, cum sacratissima maiestate, gloria, & splendore. Cōuenit Tertul. aduersus Hermog. cap. 19. vbi illud Genes. 1. *In principio creauit Deus,* plect de principatu potestatis: in Graeco enim est ἀρχή, quod & initium, & principatum significat. In qua posteriori significatione usurpatur praedictum nomen Xenophon libro 1. de imperio, Aristot. 1. politicorum, & Plato de Republica, & Hebraea vox נְדִיבִים *Nedibim*, principatum significat: quare latina vox *Principium*, quam habet nostra Latina editio, in hac significatione accipienda videtur. Mitto aliam lectionem Hebraicā, quae pro, *Tecum*, habet, *populus tuus*, hac enim variatione punctorum orta est. Dies autem virtutis, vel est dies resurrectionis, cum deuictio mortis imperio, omnia fuerunt subiecta filio; vt communiter Patres interpretantur, quod mihi maxime probatur: vel est dies secundi aduentus, vt vult Theodoretus. Habemus igitur non satis hoc testimonio probari, Patrem dici principium.

Filius quoque dici principium, probare nituntur aliqui testimonio Ioan. 8. vbi Christus Iudaeis interrogantibus, quis esset, respondit, *Principium, qui & loquor vobis.* Sed hic locus adeo difficilis est, ut nihil certi probari possit. Est autem notandum in Graeco vocem illam, *Principium*; non esse in casu nominandi, sed in casu accusandi, dicitur enim ὁ ἀρχὴ, deinde vox, *qui*, in Graeco est ὅς, quae significat, *quia, seu, quod*, & est nota casualis: quod si dimiduetur particula ὅς, hoc modo ὅς, est relatiuū neutrius generis, ex quo factum est, vt hunc locum varie Doctores exponant. Iam vero in textu vulgato emendato dicitur, *Qui & loquor vobis.*

Explicat autem Doctores varia praedictū locum, primo. Amb. lib. 3. de fide c. 4. & lib. 5. c. 5. & 1. lib. Hexameron c. 2. & 4. & Aug. in illud Plal. 109. *Tecum principium*, & lib. 10. de ciuitate c. 24. & li. 11. c. 23. & lib. 5. de Trinit. c. 13. dicunt, Christum respondisse Iudaeis interrogantibus, qui esset, se esse

Patrem in 1. partem Tom. II.

se principium, quod loquebatur cum illis: id est, Deum rerum omnium principium, quod assumpta humanitate loquebatur cum illis: videns autem Aug. vocem illam, *Principium*, non esse in casu nominandi, sed accusandi, ac proinde praedictam expositionem minime quadrare, tractat. 38. in Ioannem aliquid supplet hoc modo, *Credite me esse principium, qui & loquor vobis.* Dixerat enim prius. *Nisi credideritis, quia ego sum, moriemini*, respondens igitur Christus tacitae obiectioni Iudeorum, quae si interrogantium; *Quem debemus te esse credere?* dixit *principium*, supple, *credite me esse.* Secundo Nonnus author Graecus sic interpretatur, *Principium, qui & loquor vobis*, vt principium sit loco aduerbij, prius: vt suppleatur in Graeco praepositio καὶ, latine, *secundum*, nam Genesis 13. vbi latine dicitur, *loco altaris*, quod fecerat prius, pro prius, Graece dicitur ὅτι, & eodem modo habetur Genes. 43. vbi dicitur, *Propter pecuniam, quam retulimus prius*, & ita sensus sit, ego sum id, quod à principio, aut prius dixi vobis, me esse: aut ego sum ille, qui à principio loquor vobiscum, & tæpius dixi, quis essem.

Tertio Theophylact. & Euthymius, & Chrysostomus homil. 52. in Ioannem nomen principium usurpant pro aduerbio *In primis*, ita vt sit oratio eclipica & sensus sit: *In primis, aut sanè indigni estis, vt audiat, quod & loquor vobis.*

Quarto, Recentiores aliqui sic interpretantur, *Quarta & vt interrogatio illa, quae praecessit, Tu quis es? sit quasi despicentis, ac si dicerent Iudaei, Tu quis es? vt dicas nobis in peccato nostro nos morituros esse? & responderit Christus oratione eclipica, principium, ac si diceret, me, qui sum principium, despicias, quia & loquor vobis?*

Quinto alii recentiores illud, *Principium*, explicant, *à principio*, nam in Hebraeo nomen pro aduerbio ponitur, Plal. 78. *Loquar propositiones ab initio.* in Hebraeo enim pro ab initio, habetur קִדְמָה *kedem* sine praepositione, vt sensus sit, *A principio*, hoc est, ego sum à principio, seu ab aeterno, qui & nunc in carne assumpta loquor vobis. Denique si illud nomen, *Principium*, quod est in casu accusandi, explicari potest per hoc, quod est à principio, possemus etiam explicare hoc modo. Ego sum, quia sum à principio, nempe à Patre aeterno, qui est principium omnium rerum: nam postea subditur, *Et non cognouerunt, quia patrem suum dicebat Deum.* Addidit autem, *Quia & loquor vobis*, ac si diceret ego sum à Patre, quia & ita loquor, & dico vobis in vestro peccato vos morituros. Quocunque autem modo explices, ex hoc loco probari non potest, Filium Dei esse principium notionale, vt manifeste patet.

Demum alij probant, filium esse principium ex illo Apocalypsis 22. *Ego sum principium & finis*, sed manifestum est, ibi non de principio Spiritus sancti, sed de principio creaturarum sermonem esse.

CAPVT III.

Quo pacto Pater dicatur principium totius deitatis.

Augustinus 4. de Trinit. c. 2. circa fin. appellat Patrem principium totius Deitatis: imo etiam Dionys. ca. 3. de diuinis nominibus post medium solum Patrem appellauit fontem caelestis diuinitatis,